



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

17. Praefectus primus Congregationis Mariae Virginis Annunciatae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773

ELOGIVM XVII.

IOSEPH

Præfectus primus Congregationis MARIÆ Virginis annuntiatae.

IGnoscite ROMANI SODALES, qui in Almæ Urbis Templô sub Virginis MARIÆ annuntiatae titulo constituitis primam primariam Congregationem reliquarum omnium, quæ toto passim orbe sub cura Societatis IESV, exemplo vestro, ductûque eriguntur, si vestro videar honori derogare. Videor enim tantum; at re ipsa honorem longe maximum concilio vobis, tum auctoritatis, tum sanctitatis, cuius omnes percipidi sumus.

Est nempe IOSEPHVS PRIMVS VESTER PRÆFECTVS, illâ utrâque laude ita præstans, vt nemo magis. Eum Deus ipse verè primæ primariæ Congregationi in Nazarethana Domo erectæ, penè necessitate quadam initio statim Præfectum designavit. Cum enim in eam nonnisi IESVS, MARIA, ac IOSEPH, & si placet, Gabriel Seraphinorum princeps, nomina dedissent, audeo dicere, suffragij passivi iure ex his quatuor Sodalibus solus atque vnicus gaudebat IOSEPH.

Idque inductione probo euidenter. IESVS namque i. infans erat, in ipso quidem primo conceptu suo, corpore simul & animo perfectissimus,

vt Ba-

vt Basilius Hom. 25. de hum. Christi gen. & Ang. Doctor, in 3. p. q. 33. a. 2. testantur, veruntamen agendi genere alijs infantibus similis, & ideo regendi incapax. Deinde MARIA quoque, vtpote femina viro subiecta, eidem vicissim imperare non debebat. Tandem Gabriel inuisibili natura præditus nihil pæne nobiscum commune habet, & ideo potius Minister ac monitor Congregationis, quàm Præfectus eligi potuit; prout insinuat Apost. ad Hebr. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.*

Reliquum ergo erat, vt IOSEPH, qui solus supererat, in quo nemo quidquam desiderare posset, hoc Præfecti munus capefferet, tractaretque. Sanè, si quod res est, loqui velimus, vnà cum eo munere, etiam *Assistentis, Secretary, ac Consultoris* partes omnes, sapientiâ ac fortitudine maximâ, per omnem vitam, sustinuit atque impleuit. Idque ipsa eius opera, etiam tacente me, abundè contestantur; vt adeò mirari debeat nemo, hac postremâ mundi ætate ad interitum inclinante Marianas Congregationes subiecisse se etiam IOSEPHO, ceu Atlanti cuidam cœlesti; eumque Patronum & Aduocatum suum apud Deum Deique Matrem, quibus gratissimus est, voce ac syngraphâ publicâ, adoptauisse. Mirari potius debeo Maiores nostros tam diu defuisse sibi suisque ærumnis, quibus conflictabantur, & prope ignorasse IOSEPHVM. Sed eius cau-

fas, sub finem laboris nostri, quia minùs sunt notæ,
persequar.

Nunc verò, laudare conuenit Iosephini amoris licet serò erumpentem flammam, quam ipse haud dubiè accendit in nobis IOSEPHVS, à charissima coniuge diutius separari non ferens. Ille *Ius-Patronatus* nostri ijs omnibus modis, quibus mereri quis potest, promeritus est, Templum simul, templiq; aream, ac dotem constituens in MARIA Virgine, quæ templum est Spiritus S. in pulcherrimarum Virtutum areâ, quam aperuit sanctitate vitæ, in intercessione multiplici, quam dotis nomine suis sibi deuotis Clientibus dedit. Sed tamen ad *Beneficia* cœlestia neque digniores, neque etiam dignos clientes suos promouere tenetur. Sufficit illi Reum esse, & comparere, vt Reum, quisquis opem eius expetit, Ideòque Patroni titulo, Aduocati officium, adiungit; quia Aduocatus esse non potest, nisi etiam Reus sit. Reum ergo profiteri te, quisquis IOSEPHVM patronum & aduocatum tuum vis experiri.



ELO.